



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 3. Nepotes, eorumque amici Roma exire a Papa jussi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul. XVI.
A. C. 1559.

eoquod Cardinalis Caraffa Pallianam
ditionem Philippo Regi per suum fra-
trem ea lege, ut æqua compensatione
damnum repararetur, antea promississet,
atque ob id jamjam Joannis Baptistæ
Carbonis fidei, & custodiæ eam com-
mittere, totumque negotium in scio Papa
cum Albæ Duce perficere ausus fuisset.

§. III.

*Nepotes, eorumque Amici Roma exire
a Papa jussi.*

*Thuan l. 6.
Spond. hoc
ann. Ciacon.
t. 3. p. 812.
num. 1.
Pallav. l. 14.
c. 7. n. 4.*

Itaque Pontifex seposito omni, quo
hucusque erga Nepotes suos potissi-
mum ferebatur, privati studii affectu
die vigesima septima Januarii Anno Do-
mini millesimo quingentesimo quinqu-
agesimo nono Purpuratorum Senatum nu-
mero sat conspicuum convocabat, ac
præter Cardinales etiam adesse jube-
bat Salvatorem Pacinum, Episcopum
Chisinum Romæ Governatorem, Data-
rium, Boncompagnum Apostolicæ Ca-
meræ vices gerentem, Petrum Joannem
Aleotum Foroliviensem Antistitem, &
Aloysium Lippomanum ad Ecclesiam
Bergomensis antea translatus, una-
cum illis, qui ipsi a secretis erant: Ac-
cersebat insuper ærarii Pontificii Pro-
curatorem, atque inter Proceres Ro-
manos Camillum Ursinum a Nomento,
qui Neptem suam uxorem duxerat.

Præ-

Præsentibus his omnibus Pontifex ^{Sæcul. XVI.}
 huic confessui initium dabat prolixo ^{A.C. 1559.}
 sermone, quem sæpius profusis lacri-
 mis interrompebat, ac male actam Ne-
 potum suorum vitam detestatus mul-
 tas eorum noxas detexit, & hujusmodi
 pronuntiavit decretum, quod a tribus,
 qui sibi erant a secretis, Lippomano,
 Floribello, & Berengo conscribi, &
 a Governatore, Cameræque vicem ge-
 rente promulgari jussit.

Porro in hoc decreto sancitum, ut
 Papæ Nepotes infra duodecim dierum
 spatium unacum omnibus familiis, uxo-
 ribus, ac prolibus Roma excederent,
 Cardinalis vero Caraffa Bononiensi Le-
 gatione, omnibusque officiis, & digni-
 tatibus amotus in Lavinianam ditio-
 nem, ejus autem frater Palliani Dux
 in Gallefium, oppidum prope romanam
 urbem a Julio Rovereo emptum rele-
 garetur, atque insuper Pontificii exer-
 citus, & Apostolicæ classis imperio spo-
 liaretur, denique Montisbelli Marchio in
 suam ditionem, quam in Æmilia possi-
 debat, secedere jubebatur, ac singuli
 etiam, ne ab exilii sui locis exirent,
 prohibebantur, indictis etiam pœnis ad-
 huc severioribus, si Papæ mandatis
 morem gerere detrectaverint.